

EMBLEMA III.

Moderatè regendum.



III.

Non arctius equo.

Ne laxa nimium, nimium neque contrahe frænum:

Euentus miseros illud & illud habet.

Si laxes nimium, sonipes contemnit habenas,

Et se de molli proripit ipse manu.

Si durus nimium restringat lora magister,

Sternitur, & præceps in sua terga cadit.

Vtraque res damno est, res vtraque plena pericli:

Altera sessores, altera perdit equos.

Qui sapit, adductos iusto moderamine frænos

Temperat, vt nec equo, nec noceatque sibi.

Sic Regni qui sceptrâ tenes, populosque gubernas,

Nec laxus nimium, nec nimis asper eris.

Si nimis indulges, spernent tua iusta rebelles,

Et minues Fisco iussa tributa tuo:

Si nimium stringas, odium, & maledicta rependent,

Inque tuo regno vix benè rutus eris.

Te demum in vitæ partem si verteris omnem,

Semper, quod nimium creditur esse, nocet.